

B. M. II, 121.

h. 19, 13.

(X 1877899)

Q. B. V.



DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

DELICTIS LEGATORUM,

Quam

Ex principiis naturalibus æque ac civilibus
suffragio & indultu

MAGNIFICI ICTORUM
ORDINIS

in

ILLUSTRI ARGENTORATENSI
pro licentia

Summos in utroque jure honores &
privilegia Doctoralia capeffendi

Solenni disputantium

examini submittet

JO. ADOLPHUS BRÜCHER,

Moeno-Francofurt.

D. XXIII. Decemb. Anno M DCC.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

de delictis legatorum. Vol. XXVII. 8.



INCLUTO.
SENATUI. PATRIO.
SACRUM.



entia
gred
dum
nec

gene
imm
fum,
Leg
brev
V. l.
Rom
delin

trato





9! 9!

§. I.



Mihi equidem de variis delictorum speciebus fusius hic agendi animus non est, cum neque instituti ratio, neque paginarum angustia mihi permittat, ut rem, quod dicitur, ab ovo repetam, multaque hanc ad rem facientia proferam, prius tamen, quam ad singularia progrediar, inquirere in delictorum naturam, & postmodum scopum disquisitionis propius attingere mihi sine contradictione erit permissum.

§. 2.

Delictum igitur, cum à delinquendo dicatur, in genere sumtum est omne illud factum in se illicitum, immediateque contra legum prohibitionem commissum, quo quis ad præstandum quid patiendumve per Leges obligatur. *Vid. l. 4. & 25. §. I. ff. de O. & A. Vel brevius: Est turpe factum contra Leges Reipubl. V. l. 9. §. 5. ff. de publ. & Vectig. conf. Struv. in Jurispr. Romano-Germ. l. 3. tit. 23. §. I. & Pompejus Festus de V. S. voc. delinquere, ibiq; Scaligeri annotationes.*

§. 3.

Idcirco omnis is, qui delinquit, delicto perpetrato consentiat, oportet, in id, quo factum suum æsti-

A 2

mari

mari debet, quæ ipsa æstimatio nihil aliud, quàm pœna est per *l. 41. ff. de pœnis. & l. 31. f. C. de Episcop. & Cler.* Quam pœnæ definitionem Hobbesius attulerit, vide in *ejus Leviath. c. 28. confer. Pufendorf. J. N. & G. l. 8. c. 3. §. 4. sqq.* ubi Grotianam pœnæ definitionem, quod sit malum passionis ob malum actionis inflictum explicavit per malum aliquod molestum, quod per modum coactionis & pro imperio alicui intuitu antegressi delicti imponitur. Hæc vero clarius explicata nobis dedit *Magnificum Musarum Argentoratens. decus atque delictum Dn. Jo. Schilter, Patronus ac p. t. hospes meus omni honoris cultu etatem prosequendus*, dum definit per passionem circa bona seu rem familiarem, corpus, famam aut societatem conversationemque legem transgredienti à Lege aut Magistratu imposita, ut legis contemptus vindicetur, delinquens emendetur, & alii deterreantur à legis transgressione. *Vide ejus Institut. Juris Tit. de Oblig. quæ ex delicto §. 5. sqq.* Ista vero, de qua dixi, æstimatio ita debet esse comparata, ut delictum ipsum factum esse non videatur, quamdiu enim restitutio facta non est, tamdiu durat injuria & læsio, sive privato sive Reipublicæ, cujus leges delinquens violavit, illata, cujus reparatio fieri in tantum debet, in quantum per naturam potest, quæ si non fiat, jus talionis competit, tanquam in jure Naturæ fundatum, & ab ipso DEO probatum in sacris literis *Deuter. 19. v. 19. Exod. 21. v. 21. & 23. Matth. VII, 1.* Cum quibus & profani Auctores conveniunt, ut *Dionysius Halicarn. I, 48. Gell. Noct. Attic. VI, 4. Ovid. l. 1. de arte amandi:*

--- --- --- *Nec enim lex justior ulla
Artificem sceleris arte perire sua.*

Huc

Huc referatur Lex XII. Tabb. si membrum rupit, talio esto; ut & illud: Patere legem, quam ipse tuleris; nec non: Quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Vidd. Aristot. in Ethic. 20. Jus Romanum in edicto: Quod quisq; juris in alium statuerit &c. & Struvij dissert. de Vindicta privata.

§. 4.

Quod cum ita sit, facile jam judicatu erit, quidnam de homicida sit habendum, & an in ejusmodi delicto, dolo puta commisso, aliisque ipso divino jure, universo hominum generi praescripto, prohibitis criminibus per gratiam Principis, quippe cujus voluntati, tanquam Legislatori, jus divinum aequae atque Naturale determinationem poenarum reliquit, dispensari possit? Vitam hominis, praepotenti in coelis Numini charissimae animalis, preciosissimam esse, & nihil in hoc universo mundi complexu dari, quod cum ipsa sit comparandum, certissimum est, praeter solam vitam illius, qui homicidium perpetravit. Quo gravius igitur vitae jactura est, eo difficilius in dispensando hoc delicto Princeps Christi sacra professus erit, praesertim cum generalitas Interdicti divini: *Non occides*, & decantatum illud Noacho illiusque liberis significatum commendatumque: *Quisquis effuderit sanguinem hominis, sanguis ejus iterum effundendus sit*, conscientiam ejus animumque magis magisque dilacerabit. *Vid. Schvveder in J. P. Part. Spec. Sect. 2. §. 4. & Daniel Clasenius Tr. de jure aggratiandi.*

§. 5.

Nimum a scopo aberrarem, si hoc, quo de disquirere incepti, argumentum magis exaggerare mihi esset in animo. Id ergo, quod restat, persequar, & ut



ordo rei exposcit, videbo, cuinam talis delictorum poenarumque æstimatio in unaquaque Republica competat? Admirandæ aliàs eruditionis Vir H. Gro- tius dum l. 2. c. 20. §. 3. de *J. B. & P.* suam hac super re mentem exponit, male satisfacit illustri Pufendorffio, dum putat; *Rationem equidem dictare, maleficum posse puniri, non autem quem punire debere.* Porro subjun- git: *Nisi quod satis indicat natura convenientissimum esse, ut id fiat ab eo, qui superior est, non tamen ut omnino hoc demonstret, esse necessarium &c.* Quænam porro hac super se adducat testimonia, quibus suam firmet sen- tentiam, vide ibid. collato §. 7. Ego, ut breviter me expediam, cum supra nominato Pufend. l. 8. c. 3. §. 3. de *J. N. & G.* ita sentio, potestatem poenas sumendi esse partem imperii, & per consequens illam competere summæ in unaquaque Republica potestati ex seqq. ra- tionibus: quod

(1.) ei, cui civium tuendorum jus competit, ei- dem quoque competat jus in eosdem animadverten- di, si scilicet legibus rationi convenientibus tergiver- sentur, & male agant.

(2.) Magistratui suprema lex salus civium esse de- bet, cujus vero major ratio haberi non potest, quam si Magistratus eò allaboret, ne subditi injuria affician- tur, aut si quadam affecti fuerint, ut eadem per pœ- nam reparetur. Quæ reparatio voluntati divinæ de- bet esse conformis, cujus præstantior imago nobis non sistitur, quàm per Magistratum, quippe qui teste gen- tium Doctore *Rom. XIII.* Numinis in hac rerum vicif- situdine vices gerit, idque leges sancte custodiendo & maleficos juxta easdem puniendo repræsentat. *huc vid. L. congruit. 13. ff. de Offic. presid.*

(3.) par

(3.) par in parem non præsumitur habere imperium, nisi in casibus exceptis. *Vidd. DD. ad L. Jul. Majest. ut & illud Tertulliani: In reos Majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.*

(4) nemini competit potestas alii jus auferendi, nisi Magistratui, pœna enim convenit cum natura delicti ratione puta juris talionis; quantum enim juris sive boni quis abstulit, tantum ei denuo per pœnam aufertur. confer. *L. Nullus. 14. C. de Judæis & Cœlicolis. verb. cum alioquin &c.*

§. 6.

Cum clarum satis manifestumque sit, delinquentibus leges beneficia sua non tribuere per *l. 26. §. 6. ff. ex quibus causis majores &c. & l. 2. §. 3. ff. ad SCT. Vellejan.* Deumque id serio velle, ne suum quisque delictum impune ferat, cum ex sententia juris canonici nulla ipsi gratior victima offerri possit, quam si nocens rapiatur ad supplicium, quippe ad quod ipsemet delinquendo se obligavit per *l. omnem. 20. ff. de judiciis. & l. 34. ff. de jure fisci, verb. Ipse Te huic pœna subdidisti.* Quorsum & illud Plutarchi facit, qui Libro de Exilio, ita: τῷ Θεῷ ἐπέλοι δίκη τῶν ἀπολιπομένων τῆς θεῆς νόμου τιμῶρος, ἢ χρωμέθα πάντες ἄνθρωποι φύσει πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὡσπερ πολίτας; *Justitia, inquit, Deum comitatur, ultrix in eos, qui adversus legem divinam delinquant, qua omnes homines naturâ utimur adversus omnes homines ut cives &c.* Opere jam precium me facturum esse existimo, si porro inquiram, *utrum id, quod de nocentibus in genere dictum est, accommodari occasione data possit iis, qui splendidiori legationis caractere à Principibus insigniti sunt, an vero iidem notissimum illud & omnibus pene gentibus cognitum sanctimonia & inviolabilitatis, qua ubiq; gaudere volunt,*

jus

jus obtendere possint, si quando nocentes violatis Natura & Gentium juribus fuerint deprehensi, aut occultis & proditoriis machinationibus, puta sollicitatione subjeutorum ad defectionem, aut apparatione veneni contra Principem ipsum fuerint moliti, quo hominem extinguere plus est, quàm occidere gladio per l. i. C. de malef.

§. 7.

Eò rariora equidem illa exempla sunt, quò præstantiora plerumque ad res magni momenti agendas legationesque obeundas ingenia adhibentur. Ut ut vero illud sit, nihil humani à se alienum putare debent legati, adeoque iisdem illis delinquendi occasionibus expositi sunt, quibus alii mortales.

§. 8.

Quod ut clarius pateat, videndum prius erit, quàm multifariæ legatorum species dentur, ut deinde melius elucescat, de quanam mihi in inscriptione dissertationis sermo fuerit.

§. 9.

Generalissime loquendo legati considerari possunt ratione mittentis tantum, quomodo nempe vel ab hoste veniunt, vel ab amico Principe, quo nomine & is censetur, qui bellum tantummodo sub conditione indici curat, cujus rei exemplum vide *apud Tacitum L. i. Annal. ut & in Amphitruone Plauti initio.* & sic alius erit sagatus, alius togatus. Vel etiam referri possunt ad mittentem, vel ad eum, ad quem est missus, vel ad illum, cujus fines peragrat

§. 10.

Porro legati sunt vel Plenipotentarii, quorum prudentiæ & fidei plena & libera potestas negotii expedi-

pediendi sine ullo temperamento conceditur in his rebus, quarum consilium & moderatio certa haberi nequit, *V. Alberic. Gentilis de legat.* Vel non sunt. Utrique si à foedere, collegio, corpore mittuntur, Deputati, si à superiore, Commissarii & Statuum Deputati dicuntur. Mittuntur vero vel ut nudi famuli, e. g. Heraldici, Tubicines ac tympanotribæ, qui turbato fere ac belli statu adhibentur, vel ut negociorum gestores, ut Agentes, vel magis barbaro vocabulo Agendarii, vel ut Officiales. *Vid. Cocceji Prudentia Jur. P. 6. 23. §. 36.*

§. 11.

Quos officiales distinguere possum vel in Residentes, uti appellantur, qui in officio perpetuo constituti Dominorum suorum commodum observant, eosque de rebus ad ipsos spectantibus negociisque exteriorum certiores reddunt. Huc refer etiam Consules Mercatorum. Vel in Legatos præcipue & sigillatim ita dictos, qui tantum ad certum Principem vel corpus, cum quo jus Legatorum est, mittuntur. Quod munus nec peculiare, nec perpetuum est, sed per modernos Principum mores plerumque triennium durat, nisi Princeps aliter hac super re disposuerit, uti Viennæ Illustrissimo Borgomanero accidisse scio, qui Oratoris Hispani munus tamdiu obiit, usque dum vitam cum morte commutaret.

§. 12.

Isti, de quibus dixi, Legati καὶ ἐξοχλῶ tales sunt vel Ordinarii, vel extraordinarii. Illi à plerisque, uti *Furstenerio de suprem. Princip. c. 6.* & *Thomasio in Jurispr. L. III. c. 9.* cum Residentibus confunduntur; hi illos

B

mo-

sub eodem Principe & in eod. genere ob res majoris momenti, quæ fidei eorum committuntur, dignitate præcedunt. *V. Coccej. l.c.*

§. 13.

Utrique sunt vel cum charactere, vel sine charactere; Illos stylo publico & pragmatico à voce Hispanica Embiar appellamus Ambassadors, Germ. *Botschaffter*/hispanicè Embaxador, hos Gallicè Envoyés, Germ. *Gesandte* vocamus, de quibus præter alios integrum librū conscripsit *Vicquefort, ut & Marselaer de legatis. Vid. Reichs Abschied de anno 1567. §. 26. 27.* Istaque distinctio ex literis, uti vocant, credentialibus apparere debet, e.g. *Euer Liebden wolle denselben gleich uns selbst auff, und annehmen/* quibus verbis exprimitur legatus primi ordinis sive representatitius; aliud vero si dicatur; *Sie wollen Ihm in allem/ was er vorbringen wird/ gleich uns selbst völligen Glauben bey messen/* quæ verba tantum ad eandem fidem, non ad eandem auctoritatem conciliandam faciunt, & sic legatum secundi ordinis denotant. Unde facile liquet, easdem illas, de quibus jamjam dixi, literas Legatis idem præstare, quod aliis Procuratoribus mandatum, quapropter ante omnia has probandas esse censeo, ut in notitiam ejus perveniant, ad quem legatio est missa, comperiatque, quo usque cum legato valide contrahere queat. *De quo pluribus adeundus est Excellentissimus Dn. Schragius, Facultatis Juridicæ Argentoratensis quondam Senior, nunc vero Imperialis Camera, quæ Wezbaria est, Assessor longe meritissimus, mihiq; ætatem devenerandus in Observat. ad tit. de legat. §. 10.*

§. 14.

§. 14.

De priori quidem, tanquam specie præstantiori, præcipuus mihi sermo erit, quippe qui cum Principem suum caractere repræsentet, illustriori quoque præ cæteris dignitate gaudet, & insignioribus etiam humanitatis officiis apud plerosque ornatur, quamvis & cæteri secundi ordinis legati plurima cum iis, quos primi Ordinis esse dixi, beneficia habeant communia, uti ex responso Spiringii ordinibus Hollandiæ dato satis innotescit, cujus meminit *Auctor des memoires touchant les Ambassadeurs & les Ministres publics p.m. 57.* Definitionem talis Legati cum caractere exhibet *Schvveder. Part. Spec. J. P. sect. 1. c. 28. §. 3.* Sed mira plane est illa, quam dedit *Balzac. in Principe suo.*

§. 15.

Ut in omnibus ordinem instituti sequar, considerari talis legatus cum caractere potest vel ut totum physicum, uti Scholæ loquuntur, ratione scilicet sui ipsius habita, qui Principis imaginem nunquam excludit; vel ut totum morale, ratione habita illorum, qui in ipsius sunt domicilio & comitatu, & sic societate ejus quotidie fruuntur.

§. 16.

Legato tali abstractivè considerato duo in primis officia hæcenus præter alias solennitates, e.g. solennis receptionis & introitus, jus tituli Excellentiæ, jus tegendi se coram Rege vel Principe, præstita fuisse, in aprico est, quorum primum est, *ut non sine prægnanti causa Admissio ei recusetur*; alterum vero, *Ut beneficio inviolabilitatis & sanctimonie gaudet. V. l. ult. ff. de*



Legat. confer. ea loca, quæ commentatores Grotiani con-
gesserunt.

§. 17.

Quod cum de admissione dixi, facile exinde inferendum est, non necessario legatum admitti deberi, hoc enim negatur ex seqq. rationibus:

(1.) quia non tantum in bello, sed & in pace quisque jus habet, alios à suo territorio arcendi.

(2.) quia regulariter alteri, cui quid nunciari tertius vult, liberum est, cum quo negotium geri cupiat.

(3.) Istæ pactiones de admittendis legatis consensu mutuo constant, ad quas nemo invitus compelli poterit. *V. l. conventionum. §. ff. de pactis. confer. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 18. §. 3. nec non Auctor Triga discurs. ad Remp. pertinentium. p. 26. sqq.* Quænam vero justæ Legatum non admittendi causæ & rationes dici possint, meum non est definire, quin potius relinquendum hoc arbitrio & prudentiæ illius Principis est, cui loquendi copiam sibi fieri petit legatus. Nec propterea credo, justam belli causam datam fuisse, nisi ista denegatio cum contumelia vel ipsius Legati vel ablegantis fuerit conjuncta. *Vid. Thomas. Jurispr. l. 3. c. 9. §. 32.*

§. 18.

Simulatque talis legatus fuerit admissus, receptus usu gentium mos est, ut Inviolabilitas eidem præstetur, quousque vero illa extendi, & utrum eadem impunitatem delictis Legatorum promittere possit, videbo. Ista autem res quò majoribus dubiis est involuta, & in hunc usque diem à magnis ingeniis varie disceptata, eò exactiorem quoque merebitur disquisitionem.

§. 19.

§. 19.

Qua ratione per inviolabilitatem, de qua hic sermo, in se nihil aliud intelligitur, quàm illud debitum legato præstari solitum, quod expletur actu non lædendi. Quam læsionis vocem hic latissimè intellectam velim, ita ut quamvis contumeliam vel injuriam, quæ inferri Legato sive nocenti, sive innocenti posset, comprehendam.

§. 20.

Si legatus innocens contumelia quacunque fuerit affectus, vel quomodocunque læsus, quin id pessime & contra jura Gentium factum sit, nullum superest dubium, neque in hoc quadam prærogativa legatus præ aliis hominibus gaudet, quippe qui, dum innocentes sunt, ipso Naturæ & Gentium jure ab ulla poena infligenda tuti sunt. Neque opus hic est, ut refugium in Majestate illius quæram, qui legatum amandavit, & cujus proinde faciem & Majestatem repræsentat, quorsum *vid. Cicero in Philipp. VIII.* nam ipse suo jure tutus legatus eo modo est, & hinc ullo dubio caret, quin propter legatum ita innocenter læsum justum omnino bellum lædenti inferri possit. Referrî huc & lucem accipere potest exemplum Davidis ratione legatorum suorum, de quo *2. Samuel. X.* Sicuti enim læsio est injusta, ita è contrario justa erit defensio omnisque vis pariter atque punitio, qua sine ad eam perveniri non potest, uti principia Grotiana ostendunt *l. 3. c. 1. §. 2. de J. B. & P.*

§. 21.

Id quod de legato innocenti jamjam dixi, itidem de legato dicendum erit, quippe qui admissione semel

impetrata tacito se pacto munitum esse credit, ne scilicet violari possit, si innocenter vivat, nihilque contra leges Naturæ & Gentium committat. *huc vid. quæ supra. §. 17. dixi.*

§. 22.

Hinc colligendum est, esse quoddam à natura constitutum jus, quod Legatos etiam inter hostium tela tutos præstet, ita ut illi, qui cæteroquin hostes & hostium loco essent, per injuriam male haberi aut trucidari nequeant, nam inter arma hostilia sola legatio pacis sequestra est, *dicente Herode apud Hegesippum l. 14. c. 36.* Certo enim certius est, jure nat. bellum inter duos ortum desinere, si alter alteri velit satisfacere, vel alter sibi satisfactum iri credat. Illud autem jus satisfaciendi & transigendi soli Principi competit, ut & jus Reipubl. defendendæ, quod fieri quandoque commodius non potest, quàm per Legatos, qui tanquam intermediarii & longæ Regum Principumvé manus, uti *Guicciardin. Histor. Ital. l. 15. eos appellat,* negocia pacis & utilitatem Reipubl. procurare debent; Id quod effici non posset, nisi involabiles essent legati. *Vid. Pufendorf. J. N. & G. l. 2. c. 3. th. 23. Jacob van der Graef de Regalibus c. 27. n. 3.* Quantum enim periculi Reipublicæ quandoque immineat, & quàm parum eidem conducatur, si Principes ipsimet crebros congressus instituant, experientia, optima rerum magistra, nos edocere potest. In testimonium allegemus comitia Ratisbonæ anno 1653. habita, ubi Principes frequentissimi aderant, negociorum tamen, de quibus agebatur, cura non minus in Aulæ primarios rejiciebatur, quàm si Principes non adfuissent; In hanc rem elegantissima extat

extat dissertatio *J. H. Bæcleri de congressu & colloquio Principum c. 25. sqq. confer. Cominaeus III. commentar. pr.* Sed in contrariam fere opinionem nititur *Auctor der Grundveste des Heil. Röm. Reichs P. 1. c. 6.* sub quo ficto nomine quidam ab Heiden latere voluit, teste *Oldenburgero in Limnao enucleato l. 1. c. 10. n. 7. in fin.*

§. 23.

De istis cum res in aprico sit, restat ut inquiram innocentes, an idem illud inviolabilitatis jus eosdem justitiæ, si deliquerint, subtrahat. In hac lite discutenda diversissimæ sunt Auctorum sententiæ, & summo pere inter se discrepantes, quibusdam ex omni delicto securitatem legatis abjudicantibus, aliis vero ex nullo, iterum aliis non ex omni, neque ex nullo, sed ex quibusdam tantum eandem adimentibus. Ego ut media via incedam, & ne legatos in censum quorumvis peregrinorum referam, qui nulla neque familiaræ neque dignitatis ipsorum ratione habita ejus loci legibus subjiciuntur, in quo degunt, opinionem illorum amplectar, qui tertium statuunt, & ex delicto tantum manifesto & atrociori legatos conveniri & tandem etiam ex voluntate imperantis puniri posse existimant. Ex quo vis enim delicto legatum convenire velle esset parumper inhumanum, & character ejusmodi vilipenderetur, cum potius consultum foret, leve delictum aut dissimulare, quod & ipse Princeps ablegans fecisset, aut delinquentem ex finibus discedere jubere, ut ipse *H. Grotius existimat l. c. §. 4.*

§. 24.

In definiendo jam delicto atrociori iterum sudant scriptores; Ego *Christ. Thomasi in Jurispr. l. 3. c. 9. §. 62. definitionem hic sequar, qui delicta atrocita appellat, que*
ten-

tendunt ad turbandum statum publicum, vel quæ vitam patriæ patri aut ejusdem Principis, apud quem degit legatus, subjectis indigne auferunt, aut aliàs eosdem in honore & bonis enormiter ledunt, in primis si sint homines Viro Principi in delitiis habiti. Ex quo facile elucescet, quidnam per leve intellectum velim. *Vid. supr. §. 6. in fin.*

§. 25.

Quod si proinde dicto modo hominem fere exuerit legatus, & divina humanaque jura perrumpere fuerit conatus, altitudo dignitatis ipsius magnitudinem quoque delicti augebit *per cap. homo. 5. dist. 40.* quippe cum majori reatu delinquat, qui potiori honore fruitur, sublimitate peccantium graviora faciente vitia peccatorum *per c. Nulli. 4. XXV. qu. 1.* Atque hinc & ex seqq. rationibus legatum debitâ poenâ affici, & sanctimoniâ suâ excidere arbitror:

(1.) ratio enim, quam *supra §. 22.* de Inviolabilitate legatorum attuli, hic cessat, si legati propter crimen puniuntur. *Vid. Besoldus l. 2. politic. 8. §. 2.*

(2.) regula est universalissima, quod Principis potestas in universo territorio fundata sit, à qua nulla videtur enasci posse exceptio, igitur eadem tamdiu standum, donec probetur contrarium.

(3.) Legatis hæc sanctimonia ratione officii præstatur, si ergo contra officium faciunt, non erunt sancti ac inviolabiles, sed ut indigni tali charactere & hostium loco æstimabuntur. Nam sanctam legatos servare mentem oportet, si corpora sua sancta esse velint, & sicut Jure Gentium legati sancti habentur, ita & eodem jure delinquentes ad poenam obligantur, argumento *l. servi. 14. ff. de O. & A.* *Vid. Jo. Georg. Bechtij disp.*

disp. de salvo conductu, quæ habetur in nucleo discurs.
in J. P. edit.

(4.) Legatus plus juris habere non potest, quàm ipse Princeps; Atqui vero Princeps si turbatorem Reipubl. vel homicidam ageret in alieno territorio vel ipse vel per alios, indignus utique æstimaretur beneficiis, quibus aliàs Princeps Principem tanquam apud suos existentem afficeret, & sic immunis non foret à pœna tali, quæ omnes delinquentes ex voluntate DEI manere debet, quippe cui, tanquam auctori omnis juris, delinquentes debitas tandem aliquando pœnas dabunt. *Vid. supr. §. 4.* huc refer notissimum illud Mariæ Scotiæ Reginæ ejusque legati exemplum, qui propter motus in Britannia excitatos biennium in carcere fuit detentus, usque dum tandem ipsa ejus Regina & hera supplicio capitis fuit affecta. Nomen legato erat Joanni Leslei, Episcopo Rossensi, *de quo annales Elisabethæ loquuntur, ut & Vicquesfort l' Ambassadeur L. I. sect. 27.*
Tandem etiam

(5.) hoc certissimum est, Inviolabilitatem istam tacito cuidam pacto inniti atque insistere; neutiquam vero persuadere mihi possum, Principem alterius legatum admittentem in parricidia, concitationes populi aliaque facinora consentire voluisse, quippe qua re summa imis converti, maximaque Statui pernicies afferri posset.

§. 26.

Quandoquidem constans satis certumque sit, summæ potestati jus suum salvum semper integrumque in omnes illos permanere, qui in territorio suo degunt, & sic etiam pœnas sumere de illis, qui vel con-

C

tra

tra Lege s Status vel Naturæ & Gentium jus peccave-
 runt, omnia tamen illa ita comparata sunt, ut non ob-
 ligent Principem in summa necessitate, sed liberta-
 tem ipsi permittant vel puniendi, si velit, vel detinen-
 di, vel remittendi cum elogio ad illum, qui ablegave-
 rat. Quem humanitatis modum inter gentes rece-
 ptiolem fere esse scimus, cum scilicet hoc sæpenume-
 ro magis in rem Principis vergat, quam si puniendo
 noxium lites & tandem etiam bellum sibi conciliet,
 quamvis hoc ipso parti læsæ parum justitiæ quando-
 que tribuatur, uti videre est ex infra dicendis. *Vidd.*
huc ea, qua Justinus ex Trogo de Philippo posteriori Mace-
donum Rege l. 29. enarravit. confer. exempla recentiora
Cromwvellij & Persarum Regis. De priori vid. libellus la-
tyrannie heureuse ou Cromvvel politique par le Sieur Galar-
di p. 81. ubi de Pantaleone, Oratoris Lusit. fratre agitur. De
posteriori Olearius in Itinerar. Legatos Francisci I. Cæ-
sarem Fregosum & Antonium de Rincon ad Turcas
iter parantem alterum, alterum vero Venetias abeun-
tem occisos fuisse à Gastio, Mediolanensi præside, histo-
riæ memorant, quorsum vid. memoires du Bellay l. 9. ex
illo Blondell. præfat. Apoleget. p. 42. Epistolam, qua Ga-
stius proceribus regni purgare se intendit, vid. apud
Goldast. Politische Reichshändel P. 2. p. 366. Rex vero
Franciscus, ut talem injuriam ulcisceretur, Archi-Epi-
scopum Valentinum Georgium Austriacum Lugduni
Gallorum detinerit jussit, usque dum Papa per Nun-
cium suum Ardinghello libertatem eidem apud Re-
gem procuraret. Varillas in histoire de François I. confe-
ratur etiam l'histoire de Henri le gran, in qua illustre ex-
 emplum est cujusdam de Bruneau dicti, qui Oratori
 Hispa-

Hispano erat à secretis, & funestissima consilia cum quodam Merargues ratione civitatis Massiliensis inie- rat, quapropter Rex hunc capite plecti, illum vero in carcerem conjici jussit. *confer. Vicquesfort. l.c.*

S. 27.

Sin delictum legati nondum adeo fuerit manife- stum, sed dubium adhuc, utrum ipse delicti Auctor, an vero alius exstiterit, qua ratione summæ potestates procedere, & quam viam inire debeant, ex subjuncto exemplo, quod Vindobonæ nostra adhuc memoria accidit, magis perspectum reddetur. Verba mandati Cæsarei, quo securitati Oratoris Lusitaniæ Principis de Ligne tuuc temporis confulebatur, ita habent:

*S*acra Cæsarea Regiæq; Majestatis nomine, Ejusd. Came- rario Consiliario imperiali aulico Domino Maximiliano Adamo, Comiti à Waldstain, Aula Vice Mareschallo, hisce perbenigne insinuandum. Cùm altissimè memorata Sua Majestatis Camerarius Dominus Ferdinandus Comes de Halleuveil die decima labentis adhuc mensis in festo divi Laurentij circa horam septimam matutinam (veluti rela- tum est) cum Domino Legato Portugallie in suburbio bigam ascenderit, interea temporis non amplius Viennæ visus, sed facta lustratione Vallium in Riedenthal, ubi sylva per hanc viam fere terminatur, globo in capite trajectus, occi- sus, & cadaver defuncti (quem DEUS in gloria habeat.) heri die decima fuerit inventum, atq; eam ob causam tam inter Nobilitatem quàm plebem fama circumferatur, qua allato adhuc cadavere & sine hoc graves motus in exacer- bato populo conciliare, personamq; dicti Domini Legati fa- cere possent periclitari; Sacra Cæsarea Majestas verò su-

C 2

premi

premi muneris sui clementissime existimet, ut servato juris ordine ab his Dominum Legatum liberet, eidem securitatem per milites non custodia, sed avertendarum violentiarum causâ ad ades constituendos decernat: Idcirco mandat Sacra Cæs. Majestas ipsi Domino Vice - Mareschallo tenore præsentium, Primo, ut cum aliquo Viro honorato, quem sibi ad hoc eligere voluerit, sine mora prædictum Dominum Legatum adeat, Sacratissima Sux Majestatis Voluntatem & Decretum pro congruo, ut ante latum est, exponat, hanc videlicet perbenignam dispositionem eò solum collimare, ut exacerbata Nobilitatis, (quæ jacturam Camerarij Cæsarei & Viri inveteratæ pro sapia condolendo superstiti Domino Parenti ægerrimè fert.) & plebis attentata cohibeantur, Domino Legato autem, & qui à servitiis ei sunt, liberè domo exire & redire modo liceat, interea tamen satius fore, audientiam non desiderare, neq; in capella comparere, usq; dum, quæ circa factum versantur, & in quem allata redundent, magis elucescat. Secundo ad consilium bellicum, præviâ facta Sac. Cæs. Majestatis intimatione, Dominus Vice - Mareschallus ab eodem dimidiam aut integram centuriam in allegatum finem desiderabit, ac ante ades non attentis quibuscunq; contradictionibus (supremi namque muneris Sux Majestatis est, etiam invito de securitate prospectum esse.) sistet, informando Officialem, ut isthanc clementissimam resolutionem sedulo observet, eidemq; contraveniri nulla ratione patiatur.

Signatum Vienna sub arcano Sux Majestatis

Sigillo 14. August. 1696.

(L.S.) Joann Eilers & c.

Quomodo res porro successerit, & quod jam nominatus Orator Lusit. fuga sibi prospexerit, ex serie actorum magis

magis elucescet. Hoc solummodo addidisse è re fuerit, quod per novissimas literarum publicarum recensio- nes singulis nundinis in patria typis imprimi solitas edocti fuerimus, eundem illum Marchionem d' Aron- ches, Principem de Ligne à Rege suo potestatem ite- rum impetrasse, in regnum redeundi, eoque modo delicti imputati omnino fuisse absolutum. Id quod magno summis Potestatibus documento esse posset, di- midium poenæ Legato delinquenti fere remissum esse, simulatque in impunem ejus abitum fuerit consensum per nimias ambagum scrupulositates.

§. 28.

Cum historiae ejusmodi exemplis fere scateant, non magnum eorum acervum congeram, sed illud Julii II. Papæ tantum adducam, quando Oratorem Ducis Sa- baudiaë Caroli III. non tantum carcere multavit, sed quæstioni eundem subjecit ob consilia, quæ cum Rege Gall. Ludovico XII. contra ipsum inierat. Huc per- tinent illa numismata aurea, quorum videndorum in Galliis mihi facta est copia cum Inscriptione: *No- men Babylonis perdam*, eorundemque mentionem fe- cit *Thuanus histor. L. I. ad ann. 1505. & ex eo plurimum Re- verendus parentisq; loco mihi suspiciendus Vir Dn. Marti- nus Diefenbach. in eruditissima sua dissert. De antiquita- tibus primi Christianorum Imperatoris.*

§. 29.

De istis delictis, quæ Legatus forsitan Principis sui jussu perpetravit, vel quæ ipse Princeps legati, legato inscio, commisit, & quadantenus imputari legato vel possint, vel non possint, meum non est agere, quin



potius ad id pergere, ut legatum examinem, tanquam totum morale, ratione illorum, quæ ipsi sunt connexa. *Vid. supr. §. 15.*

§. 30.

Quando hoc dico, me locuturum de ipsius comitibus atque domesticis esse, nemo est, qui ignoret. Quocirca ex supradictis abunde satis apertum est, Legatos contra Naturæ & Gentium jus delinquentes iisdem pœnis subjectos esse, quibus alii subjecti forent, qui idem delinquerent, multo magis igitur idem dicendum erit de domesticis & famulatio legati, laxis, scopariis &c. quamvis & hi accessoriè sanctimoniam legati participes fiant. *Vid. l. 1. ff. ad L. Jul. de vi publ. confer. supra. §. 25.* Sicuti enim beneficia studiosis indulta famulis eorum competunt, sic securitas quoque Legatis concessa ad comites eorum pertinebit. Quo spectat *l. Legato. 12. §. 1. ff. de Vacat. & excusat. mun. confer. Gail. 2. obser. 68. n. 6. & de pace publ. c. 6. n. 21.* Quod ad exemplum Bomilcaris, quod *Grotius l. c. §. 4.* allegat, & de quo Sallustius bello Jugurth. ita loquitur: *Fit reus magis ex æquo bonoq̃, quàm ex jure Gentium Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica venerat &c.* id thesin meam non ferit, quippe cum verba: *ex æquo bonoq̃,* mitigationem quandam juris denotent, ut hinc in Bomilcare recessum à summo jure & mitius captum facinus ipsius fuerit, quàm cæteroquin fieri erat solitum. *confer. Cicero ad Atticum. 2. epist. 2.* nec magis firmum illud alterum de Tarquiniorum legatis ab eodem Grotio ex Livii libris allatum exemplum est, dum verba: *quamquam visi sunt, ut hostium loco essent, justamen gentium valuit;* hanc possint recipere explicationem, i. e. Jus Gent. ad hunc quoque casum ex humanitate fuit exten-

ten-

tensum, ut, licet peccasse visi sint, tamen juxta legis tenorem puniti non fuerint. Rationem, cur Romani id fecerint, vide, sis, *in novissimo cujusdam anonymi libro de jure legationum Statuum Imperij §. 102.*

§. 31.

Quid si vel maxime jus hoc fundamentis suis nitatur, legatus vero jus sibi in familiam comitesque asserat, quid in tali casu summæ potestati incumbet? Ego cum Grotio l. c. §. 8. hoc dependere ex concessione illius respondeo, apud quem agit legatus, & sic hujus consuetudinis magnam semper rationem habendam esse existimo, uti etiam inter summos Principes quotidie fieri animadvertimus. Huc refer illa, quæ nuper inter Illustriss. Comitem de Martiniz, Oratorem Cæsareum & aulam Romanam fuerunt agitata. Famosissimum quoque exemplum in Regina Christina habemus, quæ cum in Galliis commoraretur, suæ, quam apud Suecos exercuerat, supremæ jurisdictionis adhuc memor quendam domesticorum suorum Marchionem Monaldeschi dictum morte plecti jussit, ægerri-
me id ferente Christianissimo Gall. Rege. Et id quidem merito, *uti pro suo, quo in rebus pragmaticis aliisque profundioris literaturæ generibus excellit, judicio Illustris & omni laude major Polyhistor Dominus de Obrecht, nunc Plenipotentiaris Christianissimi Gall. Regis ad compromissum Francofurtense in causa Aurelianensi constitutus, cum ex singulari favore publicè aliquando Magnifici opponentis vices Argentorati extra ordinem subiret, toti eruditorum confessui hac super re mentem suam explicavit, cujus tunc temporis perceptæ doctrinæ adhucdum summa cum animi oblectatione recordor. confer. histoire de la Vie de la Reine Christine de Suede. p. m. 139.*

§. 32.



Ex eadem illa concessione jus quoque Asylorum dependere, & hinc nulla necessitate obligari Principem arbitror, ut quibusvis ad ædes Legati confugientibus libertatem impunitatemque scelerum perpetratorem concedant. Illud enim asylorum jus (1.) omnino non est juris naturæ, sed ita comparatum, ut à mera Principis voluntate dependeat. (2.) cùm ne legati quidem à criminibus contra jus naturæ & Gentium vel Principem directe commissis ex suprascriptis sint immunes, multo minùs talem impunitatem habebunt illi, qui vel ad legatorum ædes confugerint, hoc enim esset fenestram sceleribus aperire; vel qui domestici ejus sunt, & in famulatio versantur. De istis vero asyulis, quæ inter Reservata Imperatoris à juris publici Doctoribus referuntur, nullum est dubium, quin securitatem delinquentibus præstent, non ad impunitatem, id enim pessimos post se traheret effectus; *Vid. Theodoretus Orat. 7. de Prudent. Tom. 4. p. m. 258. confer. Auctor Reminiscens. polit. ad hist. de Ministerio Cardin. de Richelieu l. 1. neque ad læsi injuriam, hoc enim non faceret satis jurtalionis, de quo supra §. 3. Sed ad tutiorem lædentis permansionem cum hoc effectu, ut carceris poenâ liberatus causam suam ex loco illo privilegio Cæsaris munito commodius defendat. Vid. Georg. Rittershus. de asyulis. c. 5. §. 5. & Myler. ab Ehrenbach in Asylogia. c. 8. confer liber les Religions du monde inscriptus par Alexandre Ross divis. 1. p 8. Et hæc tamen asyula non omnibus promiscue delinquentibus patere volunt Doctores, sed iis tantum, qui immerito odio laborant, & ex nimio iræ fervore, vel, uti dicitur, ex tutamine inculpatae tutelæ, non vero qui ex consilio & dolo hominem*

nem

nem occiderunt. *V. Schvveder. in J. P. Part. Spec. c. 13. §. 1.* Non male huc aptaveris illud *Tullij, qui L. de Inventione 2. ita: misereri oportet, qui propter fortunam, non propter malitiam in miseris sunt.* Quapropter nec sanctissimum DEI altare illis patrociniabatur, qui deliberato animo hominem occidisset, *uti videre est ex Deuter. 19. vers. 4. 5. sqq.* nec hominibus Christi sacra averfantibus ulla erat religio, facinorum conscios & legibus non fidentes, quamvis ad aram misericordiae Athenis erectam aliorumque Deum devoluti supplices fuissent, ad tribunal trahere, promeritisque afficere poenis, *uti passim videre est ex elegantissima tragædia Sophoclea inscripta: Oedipus. confer. Euripides in tragædia: Supplicibus.* Quam distinctionem Jus Canonicum adhibeat circa crimina eorum, qui ad Ecclesias confugerint, *vid. in cap. Inter. 6. X. de immunitate Eccles.* ubi etiam dignissima notatu sunt ea, *uti omnia alia, quæ eundem auctorem agnoscunt, à Magnifico Domino Jo. Schiltero adducta in Institut. Jur. Canon. L. 2. tit. 7. §. 12.* Utrum Statibus Imperii quoque præter Imperatorem tale jus asyla erigendi competat, ita ut etiam peregrinis & advenis extra territorium delinquentibus atque in talem locum confugientibus securitas præstetur, de eo adhuc dubitatur, evolvi tamen hac de re poterunt, si volupe est, *Domini de Rhez Institut. J. P. l. 2. tit. 8. per tot. ibiq; Excellentissimi Dn. Stryckij Observationes. Vitriarius J. P. L. 3. tit. 17. n. 79. & Coccejus J. P. c. 23. §. 10.*

S. 33.

Quo satis perspecto non incongruum erit, illam quoque paucis percurrere quæstionem, utrum solenne illud Legationis munus conferri etiam feminis vel Clericis possit? Ex exemplis nostri ævi si decidere

D hanc

hanc quæstionem fas erit, utique non erit diffitendum, nulla vel sexus vel ordinis ratione habitâ hoc munus feminas æque ac Clericos obiisse, totum enim hoc negocium à voluntate Principis amandantis unice dependet, qui cum arbiter suarum actionum hoc in passu sit, unumquemque ablegare jure optimo poterit, quem rebus suis expediendis habilem esse judicaverit, quàm bene, quàm malè deinde res cesserit, ipse videat. De femina, quæ legationem obiit, exemplum prostat in Ducissa de Portsmouth, quam Carolus II. Angl. R. ad Regem Christianiss. misit. *Vid. la Vie de Madame de Portsmouth.* De Clerico recentissimum exemplum est in Aula Cæsarea, quippe apud quam Clericus S. Francisci Ordini addictus, magni cæteroquin ingenii & exquisitæ prudentiæ Vir, legatum Hispanicum agebat, quem ipsemet, *nomine Illustrissimi Domini Comitis à Turri, S. Cæsareæ Majestatis Consiliarij sanctioris* (cujus memoriam adhuc sanctissime colo) Viennæ salutaveram. *Huc vid. Vicquefort L.2. sect.9.* ubi proponendum sibi sumpsit; *si les gens d'Eglise sont propres pour les Ambassades?* ubi negativæ quidem insistit, sed contrarium elucescit *par les Reflexions sur les memoires pour les Ambassadeurs & Réponse au Ministre prisonnier p.58. sqq.* De illo tonsore, quem Ludovicus XI. ad Principem Aurelianensem ablegavit, & cui Olivier Dando nomen erat, notissima res est, *narrante Comineo in histor. Ludovici XI.* quem postea in Comitis dignitatem idem evexerat, sed nihili tamen æstimatus est à Principe Maria in Belgio, *teste Erasmo Francisci in der Schaus Büchne Tom 1. p. 266.* De eodem refert *Bodinus de Republ.* quod Medico suo Cancellarii munus obtulerit, & sartore quodam usus sit fecialis instar, id quod politico

tico

tico sensu interpretatur *Auctor der Novellen der galan-
gelehrten Welt Mens. Jul. de anno 1694.*

§. 34.

Argumenti dignitati & officio meo fecisse satis mihi videbor, si coronidis loco illud quoque adjungam, quo à Juris publici Doctoribus quaritur, quinam legatos mittendi in Imperio habeant potestatem? Hanc universis Imperii Statibus propter jus superioritatis territorialis communicatam esse, & ita quidem, ut non tantum ad alium Imperii Statum, aut quosvis Principes externos, sed Imperatorem ipsum Legatos mittere possint, diu ante me docuit optimisque rationibus declaravit *Dominus de Kulpis in doctissimo suo opere de Legationibus Statuum Imperij.* Præter istum nuperime Auctor quidam lucem aspexit *sub nomine Justinii Presbente,* cujus paucis ante diebus copia mihi facta est, & multa quoque memoratu non indigna continere videtur *in discursu de Jure legationis Statuum Imperij.* Idem vero illud Legationis jus liberis Imperii civitatibus tanquam Statibus Imperii peculiariter vindicavit *Knipschild. de civitat. Imper. Juribus & privil. L. 2. §. 25.* Quod de Nobilibus trium Imperii circulo- rum, Sueviæ, Franconiæ & Rheni immediatis, & tanquam in uno corpore constitutis, hic afferri posset, prætermitto, & ne actum agam, *Limnai operam de J. P. L. 6. c. 3. eomendo.* Quisnam sit Status Imperii, & quid ad hoc requiratur, eruditissime pro more suo nuper enucleavit *Celeberr. Coccejus in prudent. Jur. publ. c. 19. per tot.*

§. 35.

Verumenimverò utrum potestas Legatos cum charactere mittendi Principibus promiscuè competat,

D 2

ita

ita ut etiam Excellentiae nomen ipsis tribuatur, altioris indaginis res est, & nondum pactionibus publicis decisa, à qua proinde controversia merito mihi erit abstinendum, & ex observantia tandem aliquando petenda decisio. *Vid. Domini de Rhetz Inst. J. P. L. 2. tit. 23. §. 4. & Gregorio Leti nel suo ceremoniale politico.* Agitari ista coepit inter Electorum caeterorumque Principum Legatos tempore pacis Westphalicae anno 1648. & Neomagensis 1679. conclusae, quam magna Principibus Imperii libertate promiscue asserta in eorundem favorem decidit *Cesarinus Fürstenerius de suprematu Principum German. c. 2. §. 46.* Sed num Auctor ille in omnibus approbationem mereatur, Viris rerum pragmaticarum peritioribus decidendum relinquo. De praecedentia, quam Legati Electorum etiam ante Principes praesentes in persona tam in sessionibus publicis, quam alibi praetendunt, *Vid. Eitel Friedr. von Herden P. 2. c. 5. & confer. Capitul. Leopoldina §. 5. ut & Lundorpij continuati L. 5. §. 9. & 10.*

§. 36.

Cum ex instituti ratione nihil mihi amplius dicendum restet, positiones meas bono cum DEO finio, & si quid uberiori earundem explicationi inservire posset, commodiori occasione reservo, nihil magis in votis habens, quam ut omnibus ejusmodi in Imperio gliscentibus controversiis exoptatus primo quoque tempore imponatur

F I N I S.

1077

B. M. II, 121
h. 19, 13.

DISSERTA

DE
LEO

Ex princ

MAGN

ILLUS

Summos
priv

JO. A

D.

Literis

778991



IDICA

IS

M,

vilibus


RUM

ENSI

nores &

ER,

OR.
XVII. 8.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

